OPIATA

Neapolitana seu antivenerea.

℞. Ligni sancti, radicum salsæparillæ & chinæ pulveratorum ana ℥ß. sennæ mundatæ, & rhabarbari electi ana ʒij. jalappæ, & aquilæ albæ ana ʒiß, vel æthiopis mineralis ʒiij. Scammonii ℈i. cum syrupo rosarum solutivo fiat opiata, de quâ capiat æger ʒij per hebdomadam alternis diebus, manè jejuno ventriculo.

Parari etiam possunt opiatæ ad dealbandos dentes, & ad firmandas scorbuticorum gingivas, de quibus cap. de *Pulveribus*.

CAPUT XV.

DE BOLIS.

* BOlus est medicamentum molle, [sed opiatâ firmius]. Parantur boli purgantes, alterantes, & roborantes.

Bolus

Bolus purgans ex medullâ caſſiæ, aut ex aliquo electuario molli cathartico officinarum, ut e. g. *ex Catholico pro ore, Diaphænico, Diaprunno, &c.* & ex pulveribus purgantibus præparatur.

Bolus verò alterans ex conſervis, confectionibus, & ex pulveribus alterantibus efformatur.

In Bolo purgante pondus medullæ caſſiæ, aut electuariorum ℥i excedere non debet, pulverum verò purgantium ʒi. Pulveres purgantes, quibus plerùmque utuntur ad efformandos bolos purgantes, ſunt *rheum pulveratum*, nonnumquam *ſenna, jalappæ radix, reſina jalappæ, ſcammonium, diacrydium, aquilæ albæ, æthiops mineralis.*

In Bolo alterante conſervæ præſcribuntur ad ʒiß, confectiones ad ʒi, pulveres ad ʒß.

Adhibentur boli alterantes ad roborandum ventriculum in coctionibus læſis, in debilitatibus ventri-

culi, in inappetentiis, & in alvi profluviis.

Boli roborantes in usu non ampliùs sunt; sed si præscribendi sint, parari debent cum conservis, confectionibus, & pulveribus roborantibus: ita ut pondus omnium ingredientium non excedat ʒij. aut ℥iij. utpotè quòd remedia ex quibus præparantur boli roborantes, valdè calida sunt, & majori dosi sanguinem nimis exagitarent. Boli roborantes in usum vocari possunt ad restaurandas vires post vehementes ac diuturnos morbos: prosunt præsertim senibus, & his qui magnis hæmorrhagiis vires suas amisere. *

BOLUS

Blandè purgans Nephritridi dicatus.

℞. Pulpæ cassiæ recenter extractæ ℥i. salis prunellæ ʒi cum saccharo, & pulvere liquiritiæ fiant boli plures, qui nebulis involvantur, & devorentur manè, superbibendo jusculum herbis refrigerantibus alteratum, aut cyathum seri lactis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146547-p0304-3 DFG

Alius fortior.

℞. Pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥i. rhei electi ℥ß. ſalis prunellæ ʒij. miſce, fiant boli plures manè ſumendi.

* Hi Boli ſicut etiam dilutum caſſiæ in nephritide valdè proſunt, ad foràs amandandos, quin renes æſtuent, pravos ſuccos in primis viis hærentes ac ſanguinem inquinantes. Hæc cathartica exhiberi quoque poſſunt in iſchuriâ ſeu omnimodà urinæ ſuppreſſione, quæ nephritidem concomitatur; & offerri etiam poſſunt ægro dum eſt in balneo, ſi ſummus ſit dolor. Nam abſolutè neceſſarium eſt ſanguinem liberare ab urinâ, quæ ob renum tumefactionem ac eorum obſtructiones, ab eo ſecerni nequit, indèque ægro ſemper imminet grave ſymptoma mortem inferens, ut ſubitaneus ad cerebrum fluidorum appulſus, aut laxitas ſumma emporii, quæ lethargum aut alium affectum ſopo-

rosum accersit; aut colluvies seri in thorace; aut subitus abdominis hydrops.

Nonnumquam boli superiùs præscripti minori pollent efficaciâ ad sufficientem seri evacuationem promovendam: tunc acuendi sunt cum aliquot granis pulveris jalappæ, & iterandi alternis diebus per totum suppressionis urinæ decursum: quòd si tunc in usum non advocarentur hæc cathartica, aliquod grave symptoma sanè adveniret. Post aliquot verò dies evenit urinarum vias fieri liberiores sive variis remediis, quæ eodem tempore cum catharticis offeruntur, sive actione urinæ in parietes *tubulorum pelvis*, aut in parietes *pelvis*, in quibus lapilli sæpè irretiti hærent. Hæc distensio *tubulorum pelvis*, aut *pelvis* ab urinâ excitatâ, & continua actio urinæ subsequentis in lapillos, descensum lapillorum in ureteres & in vesicam promovent, quibus in vesicam de-

lapsis, urina dein continuo filo ad vesicam appellit. *

BOLUS

Nephritidi & supressioni urinæ dicatus.

℞. Pulpæ cassiæ recentis ℥i. rhei electi & pulverati ʒß. jalappæ gr. xv. cum saccharo, & liquiritiâ fiant boli plures.

BOLUS

Suppressioni urinæ dicatus, cum subito abdominis hydrope.

℞. Pulpæ siliquæ ægyptiacæ ℥i. succi iridis nostratis ritè defœcati, & cum vitello ovi unius permixti ℥ß. pulveris jalappæ gr. xij. cum saccharo, & liquiritiâ fiant Boli plures.

* Majori cum successu exhibetur in illo casu succus iridis nostratis ab ℥iß. ad ℥ij. aut ℥iij. in jusculo leniente, aut in ℥ij. aquæ liliorum; vel dissolutus vitellis duorum ovorum præscribitur. Hocce remedium salibus acribus multùm turget; præscribendum itaque est, cùm

in renibus materies viſcoſæ urinæ ſecretionem prohibentes, & effuſioni ac collectioni ſeri in abdomine anſam præbentes, latitant. *

BOLUS CUM ELECTUARIIS.

℞. Pulpæ caſſiæ, & catholici pro ore ana ℥ß. jalappæ pulveratæ gr. xij. miſce, fiat bolus.

Validior Bolus cum electuario.

℞. Pulpæ caſſiæ ʒvi. diaphænici ʒij. reſinæ jalappæ gr. vi. cremoris tartari ℈ij. miſce, fiat bolus.

BOLUS

Ad affectus venereos.

℞. Pulpæ caſſiæ ℥i. aquilæ albæ ℈i. aut æthiopis mineralis ʒß. jalappæ gr. xij. miſce, fiant boli plures.

Vel

℞. Pulpæ caſſiæ ʒvi. terebinthinæ Venetæ in aquâ liliorum ritè lotæ ʒij. æthiopis mineralis ℈ij. diacrydii gr. viij. miſce, fiant boli plures.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146547-p0308-6 DFG

BOLUS

Ad ſtomachum roborandum.

℞. Conſervæ roſarum ʒiß. confectionis de hyacintho ʒi. corallorum rubrorum præparatorum ʒß. miſce, fiant boli plures.

BOLUS

Ad alvi fluxum.

℞. Conſervæ balauſtiorum ʒij. corallorum rubrorum præparatorum, & terræ ſigillatæ ana ℈i. miſce, fiant boli plures.

BOLUS

Ad vires inſtaurandas.

℞. Conſervæ florum bugloſſi ʒiß. confectionis alkermes ʒi. pulveris viperarum gr. xv. miſce, fiant boli.

* Hi boli ad vires reſtaurandas in uſum hodiè non ampliùs vocantur; ſed eis ſubſtituuntur opiatæ roborantes, quæ ad plures doſes

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146547-p0309-4 DFG

præſcribi ſolent; quod in bolis præſcribendis perfici nequit, utpotè quòd pro unâ tantùm doſi boli præparantur.

CAPUT XVI.

DE PILULIS.

PIlulæ ſunt remedia figurâ rotundâ, durâ, majori conſequenter bolis ac opiatis conſiſtentiâ, quæ in plures globulos dividuntur, & foliis auri aut argenti dein obvolvuntur, aut ſaccharo, aut pulvere liquiritiæ cooperiuntur, ut faciliùs deglutiantur, & ingratus ingredientium ſapor non ab ægris percipiatur.

Hodiè rariſſimi usûs ſunt pilulæ; nam hæc remediorum conſtitutio adhibetur tantùm cùm hydrargirum cum catharticis, aut aloë ægris ſunt præſcribenda.

Officinales vel *Magiſtrales* ſunt pi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146547-p0310-5 DFG